



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658

Clemens Papa VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

literis suis datis Bruxellæ 9. Februarii. 1554. ne aduersus eadem
 Concordata provisos admitterent, *V. V. ames. in consil. canon. tom. 1. consil. 33. num. 13. Zypæus cit. consultat. 3.*

§. 6. Et meritò quidem, cùm Imperator sit advocatus & defensor iurium Sedis Apostolicæ, & Concordatorum Germaniæ, *text. in c. venerabilem. 33. de elect. Clem. 1. de iure iur. Chorkier ad preces primar. sect. 1. lit. K. uti eum vocat Clemens Papa VIII. in speciali Brevi ad Rudolphum II. Imperatorē. 15. Ianuarii. 1603. transmissio, hortaturq; ut circa Præposituram Ecclesiæ Bremensis, quam Capitulum uni ex Ducibus Luneburgensibus contra expressam Concordatorum reservationem conferre præsumperat, eadem Concordata tanto, inquit Pontifex, pondere sancita, nullo modo violari, aut imminui patiatur, uti latius liquet ex eius hic subiecto tenore.*

Tum Cameracenses.

Cùm Imperator sit defensor Concordatorum, ita à Pontifice appellatus.



CLEMENS PAPA VIII.



Harissime in Christo fili Noster, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium
Exponit hic Pontifex provisionem de Præpositura Bremensis à se factam, à Capitulo contra Concordata Germaniæ reiectam.
 Num. I. Superioribus diebus, cùm Præpositura Ecclesiæ Bremensis vacaret per obitum *Theodoric à Gallen*, Nos illam Apostolicâ auctoritate contulimus dilecto filio *V. V. esselo de Brugeneio*, cognomento *Hafencambo*, qui literis Apostolicis de more expeditis, cùm eas possessionis obtinendæ causâ, Capitulo eiusdem Ecclesiæ ritè proponendas, atque intimandas curaret, à Decano & seniore illius Capituli convocationem impetrare non potuit; quin etiam, ut accepimus, & factis, & verbis parùm modestis Apostolicam provisionem reijcere sunt

Z

re sunt

re sunt visi, quasi ad eos liberæ electionis ius pertineret: immò verò usque eo progressi sunt, ut certum quoque hominem, ut audivimus, elegerint ex Ducibus Luneburgensibus, eumq; facto ipso, quod nullo iure licuit, in possessionem immiserint, non solum gravi iniuriâ, & detrimento illato eidem *Wesselo*, sed per summam inobedientiam erga hanc Sanctam Sedem, in qua Deo auctore, meritis licet impares præsidemus, & non mediocri etiam cum offensione Cæsareæ Maiestatis Tuæ, quæ pro sua insigni æquitate & prudentia se *Defensorem*, ut par est, *profitetur eorum*, quæ iam pridem inter hanc ipsam Sedem & Nationem Germanicam pacta sunt, & *conventa*, quæ *Concordata* appellantur; in quibus nominatim cautum est verbis disertis, ut eiusmodi dignitates post Pontificalem maiores reservatæ sint, & esse se debeant dispositioni & provisioni Sedis Apostolicæ. Quibus illud accedit, quod ultimi supradictæ Præposituræ & dignitatis possessores & ab Apostolica Sede provisionem obtinuerint, & eiusdem vigore provisionis, à Capitulo Bremensi sint admissi, ut tantò magis eorum nunc temeritas gravis & reprehensibilis extiterit, quæ certè permolesta Nobis accidit, & nullo modo est ferenda.

*Proinde
pro eius
munitione
tionis opem
Cæsareæ
Maiestatis
implorav.*

II. Quare ut tam perniciosi exempli semen quam celerrimè evellatur, & Capitularium audacia coerceatur, Maiestatem Tuam etiam atque etiam hortamur in Domino, atque ab ea efficaciter petimus, ut pro sua spectata in Nos, & hanc Sanctam Sedem pietate & iustitiæ Pa-

tro

trōcinio, Concordata Germanica tanto pondere sancita, nullo modo violari, aut imminui patiatur; immò verò ut ius postulat, ab ipsis Capitularibus observari curet, & re ipsâ ostendat, quod ab eis in hac causa actum est, & agitur, maximè Maiestati Tuæ displicuisse, & displicere; & denique omni adiumento, & auctoritate Tuâ eidem *Wesselo*, qui Apostolicam Nostram colationem & provisionem habet, ita benignè faveas, & propensè suffrageris, ut is ius suum, & collatæ Præposituræ possessionem obtineat.

III. Erit hoc dignum virtute & magnitudine animi Maiestatis Tuæ, & Nobis etiam valde gratum, quod Noster etiam Apostolicus Nuncius Venerabilis frater Archiepiscopus *Spinellus* cumulatius exponet Maiestati Tuæ, cui toto ex animo felicissima omnia à Patre luminum optamus & precamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 15. Ianuarii, M. DC. III. Pontificatus Nostri anno undecimo,

*Eius virtute
sue dignam.*

§. 7. Circa eandem autem Præposituram Bremensem extat insignis Decisio Rotalis *part. 2. recent. decis. 580.* quam lector videre poterit, nam tangit eundem calum.

Hæc conformis emanavit decisio Rotalis.

§. 8. Insuper *Vrbanus VIII.* Pontifex Maximus anno 1624. in simili causa opem *Ferdinandi II. Cæsaris* imploravit contra Halberstadienses, ut refert *Carolus Carafa* Episcopus Aversanus, Sedis Apostolicæ ad eundem Nuntius in commentariis suis de Germania sacra restaurata, fol. mihi. 177. & 178. hisce verbis: *hoc eodem anno, scilicet 1624. & paulò post, Româ mihi Breve Apostolicum venerat ad Cæsarem, quo sanctissimus Dominus suæ Maiestatis brachium implorabat ad tuenda iura Sedis*

Eoq. etiam nem se Imperator ab Urbano 8. Papa fuit imploratus.

Apostolica, in Præpositura Ecclesie Halberstadiensis, quam contra iura Sedis Apostolicæ, & Concordata Germaniæ, Rex Daniæ filio suo, etiam emptus variis, sacrilegè addixerat, admotâq; vi propugnare studebat. Cuius violentiæ cum Casarem monuissem, magnâ diligentia Tillio imperavit, ut satageret iura Ecclesie Romanæ conservare; & licet multos parati exercitus inferioris Saxonie deterrerent, non deterruerunt tamen Casarem, neque Tillium, qui officii sui memor sedulo rem Catholicam promovit.

*Exceptio
de non usu
Concorda-
torum fir-
mula.*

§. 9. Ex his autem perspicere licet, quod exceptio de non recepta lege, seu non uti Concordatorum, tam intra, quàm extra iudicium sit nulla, frivola & inanis, *Brandenad Concord. quaest. 3. num. 5. 6. 7. & seq. ac quest. 4. per tot. Piasec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 2. post. num. 8. Chokier ad reg. 8. cancell. gloss. 11. num. 12. & 13. explorati enim iuris est, quod fuerint per Imperatorem & Principes Germaniæ nomine totius Nationis acceptata, & sic in pactum abierint. Crescem. decis. 2. de privileg. Mohedan decis. 23. in fin. de praben. Chokier loc. cit.*

*Responde-
ad argu-
menta co-
traria, &
quidem ad
primum.*

§. 10. Nec obstat, si dicas illa non fuisse universaliter per totam Nationem Germanicam acceptata & recepta: quia, ut eleganter deducit *Leoninus consil. 50.* contrarium elicitur ex narrativa *Nicolai V.* Pontificis in sua Constitutione, quæ refert Concordata pro pace & utilitate, ac nomine totius Nationis inter *Fredericum Romanorum Regem*, & nonnullos alios Ecclesiasticos & sæculares Principes Nationis Germanicæ, ac Legatum Sedis Apostolicæ, sufficienti ad hoc per eandem mandato suffultum fuisse inita, & à partibus hinc inde approbata, laudata, conclusa, & acceptata: quod & declaravit *Sixtus Papa IV.* Constitutione suâ ad favorem Episcopi & Cleri *Ultraiectionis* anno 1473, ut refert *Leoninus supra* his verbis. *Et Nobis legitime constitò, Concordata ipsa indifferenter pro tota Natione esse inita &c.* Unde constat, statim & incontinenti absque ulteriori particularium acceptatione, præsentem & puram obligationem totius Universitatis, Nationis atque Imperij fuisse inductam; siquidem cum ista Concordata ex parte Germanicæ Nationis per Regem Romanorum, & Electores Im-

res Im-

Electores Imperii, ac plures alios sæculares & Ecclesiasticos Principes, nomine totius Nationis, & per eam repræsentantes, inita & acceptata fuerint, non fuit necessaria aliqua particularis subditorum acceptatio; quia Concordata habent vim pacti & contractus pro pace & utilitate totius Reipublicæ Germanicæ initi: & proinde omnes subditi Imperii, ac Nationis Germanicæ ab initio sine ulla acceptatione, etiam inviti & nolentes ad eorundem Concordatorum & conditionum inita pacis observationem obligati fuere; cum ad Regem seu Imperatorem, & Electores Imperii pertineat pacis & publicæ tranquillitatis media constituere, ac Concordata inire, & omnes subditos & successores iis obstringere, & universo populo bonum generale acquirere. Est enim Princeps omnium Præsul, & pro omnium salute vigilare debet, habetq; rerum publicarum administrationem, ita quod ex contractibus per eum ac proceres Regni seu Imperii factis, Reipublicæ jus acquiratur, & Respublica obligetur: præsertim quando contractus per modum fœderis pro pace & nomine Nationis, seu Regni aut Imperii (uti hîc factum est) celebrantur in perpetuum. Nam quod venit in fœdera pacis, solidius subsistit, neque in particulari à subditis infringi, convelli aut argui potest: in his etenim quæ publici juris sunt, & Universitati Nationis competunt, nullum est subditorum arbitrium, aut potestas, ita perpulchrè *Leoninus cit. consil. 50.* Ut proinde sicuti *Franciscus I.* Galliarum Rex per Concordata cum *Leone X.* Summo Pontifice inita totum Regnum obstrinxit, & *Leo* toti Regno Concordatorum observantiam mandavit, non expectat à particularium acceptatione, *Zypæus in consultat. canon. lib. 3. tit. de praben. consultat. 3. vers. Qua in re &c.* non secus Imperator per hæc Concordata cum S. Sede pacta & conclusa, eo ipso omnes sibi subditos obligasse, & pro illis contraxisse censetur; quia uti supremum Imperii caput, præsertim etiam cum proceribus adunatum eminenter & virtualiter continet consensum inferiorum: adeoq; non immeritò à Summo Pontifice constituitur protector, defensor, & conservator

prædictorum Concordatorum adversus omnes contraria attentantes, *suprà hoc tit. 3. dub. 1. §. 6.*

Ad secundum.

§. II. Nec quidquam facit in contrarium clausula de facultate acceptandi in Constitutione *Nicolai V.* adjecta; nam facultas illa non ad diminutionem, sed ad augmentum & abundantiore cautelam apposita fuit, propter eos, qui quamvis in Germanica Natione consisterent, Imperii tamen superioritatem tempore Concordatorum non agnoscebant, *Leoninus loco cit.* utpote jura Regia possidentes, quales referuntur Rex Bohemiarum, Archidux Austriae & similes, *Zypaus præcit. consultat. 3. vers. siquidem longè distat.* de quibus idem *Zypaus ibidem* meritò à Gallis respectu Regis sui, & ab eo initorum Concordatorum, diversam ponit rationem, non autem de aliis Imperii Germanici superioritatem agnoscentibus.

Apud Leodenses vigent Concordata Germaniae

§. 12. Licet porrò apud nos Eburones Concordata Germaniae fuerint hætenus in viridi observantia, quod abundè demonstrat declaratio *Julii III.* Summi Pontificis hæc subjuncta.



JULIUS PAPA III.

Exordium.



Ad perpetuam rei memoriam, Decet Romanum Pontificem Domini Nostri Iesu Christi, à quo pax & concordia, ac reliqua bona procedunt, in terris Vicarium concordis inter Sedem Apostolicam & Nationes Germanicas in itis firmiter adhærere, & ne eis contraveniatur, efficaciter providere.

Constit. Julii Papa 3. Super Concordatis Germaniae ad favorem Leodensium.

Refert hic Pont. tenorem Concordatorum Germaniae.

Num. I. Sanè nuper accepimus, quòd licet Concordatis inter dictam Sedem ex una, & inclytam Germanicam Nationem ex altera partibus dudum in itis, & per fel. recor-
Nico-